

jura daturum credunt, quot à mundo condito usque ad ipsum excurrerunt; sunt tandem, qui ad aeternos annos ejus Imperium perscribant (a).

a Basnage hist. Jud. l. 6. c. 25. a. 3. nov. Edit.

b Abenezra in Psal. 79. v. 18. Vide Musis in eundem Psal. 79.

c Hieron. in Isai. 22.

Quò verò vaticinia opinioni suæ repugnancia concilient, geminos invexerunt Messias, alterum post alterum, quorum hic humilis despiciatusque, alter gloriosus divesque (b), uterque merus & simplex homo; hic non sine liberis, & hæredibus decessurus. Prior è genere Joseph de Tribu Ephraim Patrem habiturus est Uziellem, nomine verò appellandus Nehemias. Exercitum ab eo cogendum è Tribu Ephraim, Manasse, Benjamin ac parte Gaditarum, expeditionem verò suscipiendam in Idumæos, quo Judæi nomine designant Romanos, & Christianos (c); ex quibus omnibus, pluribus victoriis fractis, insignem ducendum Jerosolymæ triumphum, insignem, inquam, non captivorum tantum numero, sed Romani etiam Imperii dejecti spoliis, & Judæis reductis.

Armillum, quem Christiani Antichristum vocitant, sub eodem Rege è marmore quodam parente nasciturum addont, vel, si mavis, proditurum; namque Deus creatum jam à sæculo, in marmore velati in alveo concluderat. Tantum nactus adversarium Nehemias confertis cum ipso manibus dimicabit, ejusque dissipato exercitu, Ducem habebit captivum. At postea ex ejus manibus elapsus, reparato bello cum hoste configet feliciori exitu; Nehemias enim in eodem prælio hoste imprudente, interibit. Defunctum ejus corpus Angeli efferentes, in tumulo veterum Patriarcharum recondent.

Tunc in ultimam desolationem filii Israel redacti, salutem sibi in locis desertis querere cogentur, ubi consernati 45. dierum spatio latitabunt. Secundum hæc, consernatos Angelicæ buccinæ clangore Archangelus Michael ad lætiora revocabit, secundi Messia è genere David adventu annunciat. Prohibet igitur Messias Eliâ Prophetâ comitante, quem ex universo Orbe Judæi velut universæ Gentis Regem, & futurum Liberatorem salutabunt. Statim Armillus ad arma; sed cum maximè ad pugnam se instruet, Deus pluviam sulphuris & ignis coelitus demissâ, ejus totum exercitum dissipabit, exterminabitque. Tunc secundus Messias è genere David priorem illum Messiam è Tribu Ephraim ad vitam reducet, dispersos congregabit Israelitas; defunctos revocabit ad vitam; Templum Jerosolymæ, juxta delineatum ab Ezechiele modulum, excitabit, ac tandem adversariis omnibus dissipatis, quæ latè patet terrarum Orbis, Imperium suum prorogabit. Succedent cum Regina nuptiæ, atque plures è connubio, aliisque uxoribus (plures enim ducet) filii hæreditario jure post ejus obitum regnaturi; communem enim habebit cum mortalibus omnibus exitum (d).

d Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 36.

Fabellarum quæ de Messia, ejusque rebus procederunt Hebræi, hoc veluti specimen exhibuimus. Alia enim venditant plura, illa maximè quæ de prodigiis

Messia adventum præcessuris comminiscuntur. Sunt autem decem (e). Primum de c Libell. Abkar Rochel apud Buxtorf. ibidem. suscitatis tribus Regibus, qui sub ementita pietatis larvâ populos seducunt; adeò verò illi impotenti dominatu tyrannidem exercebant, ut ab eorum violentiâ recipere se in deserta loca, & cavernas Justi cogendi sint. Tunc sublata omnia Israelitis, Rex, Princeps, Dux, Pastor, Doctor, Synagoga. Venient per hæc tempora ab ultimis Terræ finibus nigerrimi quidam homines duobus capitibus, & septem igneis oculis, trucique aspectu monstrofi, quorum aspectum impavidus quisque ne sustinere quidem audebit. Divinæ Providentiæ dispensatione nonnisi trium mensium spatio Imperium illud durabit. Quis enim diuturnius tulisset?

Alterum prodigium in æstu quodam intolerabili spectabitur, unde febres, pestes, quid non? Sed eo flagello Pagani tantammodo corripientur; apertissimum planè documentum, vel salutare quoddam remedium pro justis Israelitis, quibus certa spes, solis iustitiæ mox prodituri jam auroram adesse.

Tertium prodigium efficiet sanguineus quidam ros, virus infestissimum Christianis, cæterisque per orbem gentibus; namque liquoris suavitate capti, illo epoto statim interibunt, nec abstinebant impij Israelitarum veneni perniciem sentientes.

Quartum prodigium ros alius, quo degustato viri, quibus iustitiæ aliquid inest, è primi illius roris veneno periclitati convalescent.

Quintum. Sol densâ tenebrarum caligine velatus, 30. dierum spatio lucem denegabit. Tot prodigiis terribi Christiani, victas tandem Judaicæ religioni manus tradent.

Sextum. Deo permittente Imperium Romanum eodem habebit cum Orbe fines, quod Princeps quidam violentus, & sævus Rex omnium postremus novem mensibus tenebit. Surgat enim tunc Messias è tribu Joseph, cui nomen Nehemias, de quo nos supra, vocatisque ad arma Israelitis omnibus, expeditionem in Romanum Imperium suscipiet tam prosperam, ut occiso Tyranno, omnia jure armorum subiciat.

Septimum. Marmor puellæ figuram exhibens, ipsâ Dei manu mundi incuntis exordio formatum, insculptumque, ex quo nefario hominum impiorum crimine foeto, filius prodibit Armillus, quem Christiani Anti-Christum vocitant. Cujus porrò viri, decem ulnis proceri, ambos oculos palmi interstitium determinabit, oculos, inquam, intra frontis capsulam altè defoscos, ignitos, & rubescentes. Flava erit coma, virescent pedes, ac tandem bicipiti erit cervice monstrosus, Hunc Romani Regem salutabunt; Christiani Dominum agnoscent, & Legis suæ Librum tradent. Missis Legatis eadem injunget Israelitis, eadem imperabit; sed Nehemias filius Uzielis ducto contra illum Exercitu 300000. Ephraimitarum, manus pro Judæis conferet, quanquam exitu infeli-

felici, sublato non hominum tantum manu Nehemia, quemadmodum supra fusiùs naravimus. Armillis victoriæ opportunitate usus, arma in Ægyptum ducet, quam suo subjugabit imperio; mox expeditionem in Israelem assumet.

Octavum. Clangente Archangeli Michaelis tubâ, subito se verus Messias filius David, adjecto in socium Elia, exhibebit. Optimi Israelitarum in desertis locis se continentem, eò venientem Imperatorem suum excipiet. Nec mora; reductis ad arma Judæis, validissimum exercitum Jerosolymam adducet. Occurret statim Armillus; cujus tamen exercitus igne coelitus demisso confragabit, ut nos etiam supra.

Nonum prodigium. Archangelus Michael, repetito buccinæ clangore, sepulchra Jerosolymæ omnia concutiet, ac exanimata Defunctorum cadavera revocabit ad vitam. Sed defuncti prioris Messia ad vitam reducendi pium officium ipse Elias Propheta præstabit; sicut & Judæos omnes in sua ipsorum ditone versantes, universi Terrarum Orbis Reges triumphali pompa Jerosolymam reducent.

Postremum tandem prodigium reddet tertio clangens Angelica S. Michaelis buccina; ipsâ enim sonante Dominus filios Israel in Paradisum introducet, ubi nil illis ad felicitatem desiderandum, cum interim terrena omnia subitâ immisâ famam adeo absumentur, ut neque cibi quidquam alendis cæteris Gentibus remaneat.

Audiamus modò, quo convivii solemnioris apparatu populum suum in Chanaanitidem coactum Messias filius David excipiet. Immanes omnes dapes ex immanioribus animantibus, piscibus & avibus instructæ; vinum autem potabit, quod unquam fuerit exquisitissimum, eodem nempe, quod ipse Adam in Paradiso sibi expresserat, adhuc in ejus cella vinaria aservato. Opimus eâ occasione bos Behemoth immolabitur, illa immanis corporis bellua, quæ coactum è mille montibus fœnum uno die devorat. Nunquam ille è loco movetur; & ne quid unquam ejus pascuis defuerit, quantum ille per diem herbarum voraverit, tantum nocte terræ beneficio reparatur. Juncta erat mari bos fœmella, sed metu ne nimium immanis belluæ genus propagaretur, incuntis Mundi exordio occisa est; cujus carnes ne fale conditas aservaret, Deus prohibitus est, quòd sciret salitas carnes vulgares esse nimium, neque solemnioribus conviviiis cupedias esse delicatissimas. Ad eò verò in re tam ludicra ferri sunt Judæi, ut inter eos non rari per sibi debitam bovis Behemoth portionem ita jurent, quemadmodum Christiani per gloriam & beatitudinem.

Ejus convivii solemnitatem augebit Cete Leviathan, immanis nempe bellua 300. leucarum spatium occupans. Porrò tota aquarum Oceani moles humeri hujus piscis incumbit. Non deerat mari par fœmella, sed metuens Deus ne fortè Terræ his monstros periclitaretur, neve monstro-

Differt. Calmet. Tom. 1.

rum genus totum occuparet orbem, fœmellam occidit, ejusque salitas carnes convivio reservavit. Tandem avis illa ab Israelitis necanda, nomine Bar-Juchne, immanitate suâ prioribus nil concedit, quemadmodum ex historia mox referendâ intelligimus. Fortè enim decidit ovum putre, ex ejus nido in subiectum Libanum, moleque suâ per montium devexa provolutum, obvias 300. proceras Libani cedros dejecit. Cùm lapsu suo crepare contigisset, subito erumpentis humoris torrente, 60. amplissimos vicos inundavit, vastavitque, veluti subito excussus aquarum nimbus. Si fortè avis illa per aera volitans alas explicat, earum objectu prohibita solis luce, nigra quædam caligo ærem occupat. Nimius essem, si ejus generis commenta omnia de Messia referrem; majora quin etiam adduximus, quàm quod eorum in re maximè seria ludicris demonstrandum conveniret.

Hæc traditio, quæcumque demum illa sint, vetustas ex ipso etiam Evangelio apparet. Portentosa illa Judæorum commenta huic potissimum causâ deputanda sunt, quòd figurato sensu à Veteribus tradita, illi ad literam interpretantur. Olim ante Jesu Christi ætatem futuræ vitæ felicitas, & Messia Regnum, adducto convivii lætissimi atque instructissimi emblemate exprimebatur; unde etiam imaginem Regni sui deducere Christo, ut Judæorum moribus obsequeretur, visum est (f). Nihil ille frequentius quàm eas nuptias, & convivia, quibus à Patre suo excipiendi essent electi, commemorat. Ille quidem Judæorum hæc de re ideam non destruendam, sed dirigendam ad rectam normam & ad spiritalem sensum suscepit. Eliminandum tamen à mentibus Judæorum errorem duxit, quo nimirum omnes non Judæos à Regno Dei, & convivio Messia excluderent; monuit proinde Christus, undique ex universo mundo convivarum turbam confluentem eodem convivio excipiendam, quo Abraham, Isaac, & Jacob. Adjecit deinde aliud, quod vehementer timebant Judæi, nimirum filios Regni inter primiores ad convivium invitatos, fore demum excludendos ex aula convivii, atque sub dio hyemalis noctis injuriis & horrore relinquendos.

Ex parabola decem Virginum [g] intelligimus, Messia sive Sponsi adventum nocte intempestâ à Judæis expectari, quod constanti apud ipso traditione receptum esse S. Hieronymus in Matt. 25. 6. testatur; unde etiam derivatum credit apud Christianos, & ex ipsis Apostolis receptum morem, vigiliis nempe Paschatis ad mediam usque noctem, qua scilicet horâ venturus Dominus expectabatur, producendi. Vetus illa persuasio apud S. Chryostomum pariter & Euthymium apparet [h]. Nondum hunc Sponsi adventum Christiani de secunda Messia apparitione, Judæi de prima interpretabantur.

Retulimus supra systema quoddam historicum, quo repugnancia in specie Prophetarum Oracula concilianda sibi Rabbi-

B b b b no-

f Vide Matt. 8. 11. 12. & 22. 2. Apoc. 19. 7. Luc. 14. 12.

g Matt. 25. 6. & c.

h In Matt. 25. 6.



i Daniel. 9. 24. 25.

k Vide Basnage Hist. Ju. 1.6. c. 22.

l Daniel. 9. 25. Ab exitu Jerusalem ut iterum edificetur Jerusalem usque ad Christum Duces hebdomades septem. m Cyrus, Cambyses, Darius Hystaspis, Xerxes, Artaxerxes Longimanus, Xerxes II. Ochus, Artaxerxes Mnemon, Artaxerxes Ochus, Arsen, Darius Condomanus. n Judæi Lusitanæ quæstiones 23. ad Christianos, qm. 2. 2. 4.

norum nonnulli susceperunt. Aliud modò adjungimus, explicandis 70. septimanis Danielis (i), quas Messias statim excipiet ab ejus gentis Doctoribus non infrequentibus excogitatum. Earum exordium statuunt in eversione Templi Jerosolymitani per Chaldaeos, ex quo 4090. annos usque ad eversionem Jerusalem per Titum supputant (k). Duos verò constituunt Unctos sive Messias; quorum primus, cum Cyro prorsus confundendus, in septima hebdomada apparuerit; postremus, nempe juxta eorum sententiam Agrippa II. in extrema Jerosolymæ obsidione interierit. Secundum hæc Dux, idest Titus, Urbem sanctam evertit; nunquam deinde resitendam usque ad bellum Gog, & Magog, cum scilicet hostes populi Messia gladio exterminabuntur. Ita bellè philosophantur Salomon Jarchi & Abravanel, quos Præceptores Rabbiorum non infimi sequuntur. Malunt tamen alii primum Unctum cum Josue summo Sacerdote Esdræ ætate confundere; alii cum Zorobabele, sive Nehemia.

Sed hæc omnia æquè vana sunt. 1. Exordium septuaginta hebdomadarum constituendum est ab edicto de permissa Urbis reparatione, non verò, quòd Judæi malunt, ab Urbis eversione (l) 2. Contrahunt Judæi de industria Monarchiæ Perlarum periodum, Regum numerum è decem, sive duodecim (m) ad quatuor reformantes. 3. Falluntur aut fallunt, cum Agrippam II. Romæ occisum cum filio Monbajo statuunt anno captæ Jerosolymæ per Titum; cum & liberis caruerit Agrippa, & vixisset adhuc anno 14. Domitiani, diu nempe post captam Jerosolymam, ut ex ejus nummis constat.

Quam nos tribuimus Messia divinitatem, hæc maxime Judæos contra nos provocat; hominem enim cum Deo confociare, æquè mostrosus esse censent, ac si duæ infociabiles naturæ in unum centaurum coalescant (n). Id autem, inquit, nunquam à Prophetis commissum est, sed id inter Deum & David distinguendum; hunc enim Dominum agnoscunt, illum servum; Messias David appellatur, itemque simul & Servus. Bella ratiocinatio! Potuit nec abs re prorsus David servus appellari; potuit Messias æquè nomine David designari, cum Rex ille illius esset imago. Deus alter est à Davide; distinguitur etiam, si mavis, à Messia; nihil hic nostræ fidei dogmatibus repugnans. Jesus Christus nunquam non ingerit suam à Patre distinctionem. An verò potuit disertius Messia Divinitas exprimi, quàm ab Isaia 9. 6. præstitum est? ait enim: Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. Et Jeremias 23. 6. Et suscitabo David germen justum; & Isaia iterum 45. 22. Convertimini ad me, & salvati eritis, omnes fines terræ; quia ego Deus, & non est alius; & 35. 4. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis; Deus ipse veniet, & salvabit vos. Author Ecclesiastici 1. 4. quem

Judæi laudant interdum, qui neque ut testis de recepta suorum temporum opinione reprobari posset, hæc habet: Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentia ab 700. Fons sapientia Verbum Dei in excelsis.

Neque de Messia divinitate Judæi tantum recentiores ambigunt, cum ejusdem rei incredulitas Judæos etiam Christo cogitos tenuisse videatur. Aperta sunt in eam rem Prophetarum Oracula, clara sunt, sed occupata præjudicio menti obscura; quorum proinde inbecillitati indulgens Jesus Christus, nunquam satis apertum eâ de re testimonium protulit. Volebat, ait S. Chryostomus, sensim assuefacere mentes hominum carnalium, ne excedens humanam omnem rationem, mysterium tandem detrectarent (o). Si Christus oraculo Davidis illos revincendos suscipit, victi Judæi quidem silent; nunquam tamen à veteri persuasionem recedunt; nec audentes veritatem negare, admittere tamen refugiunt (p). Si Jesus Christus Dei sibi autoritatem vindicans, peccata remittit, invidiam in se Judæorum creat (q). Insignia ab eo patrata miracula nunquam tamen apud occupatas præjudicio mentes valent, ut Deum illum agnoscant; & cum Deum se eorum Summo Sacerdote profitetur, ille ad blasphemiam inhorrescens vestes discindit (r). Apostoli quid de illo vulgò homines censerent interrogati, responderunt ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, vel unum è Prophetis haberi. Expressâ Patris revelatione opus fuit, ut S. Petrus divinitatem Filii Dei agnosceret, profitereturque (s).

Sed, ut supra etiam animadvertimus, quamvis clara quædam idea de Messia, Judæorum mentibus insideret, non omnes tamen æquè omnia de illo norant. Erant Judæi quidam crassiores & rudiores, mysteriis Regni Dei concipiendis impares; erant peritiores & docti, qui omnia Prophetarum Oracula habentes explorata, de Messia divinitate ne dubitasse quidem videntur. Idem credebatur & populus, sed confusa quadam & implicata credulitate. Facillè etiam ad se difficiles in agnoscenda Christi Divinitate præbebant, quòd merum hominem vel ad summum Prophetam haberent. Qui verò Messiam illum norant, Deum etiam ne dubii quidem credebant. Nunquam autem Apostoli ad eum institissent, ut rem illam inculcarent, nisi probè ipsi prius persuasi omnino necessarium fuisse Messia, ut Deum gereret homini adjunctum. Maria soror Lazari ultrò fatetur in Jesu Christo equalem Deo potentiam, utpote quem genitum è Deo vivo, & in Mundum venisse profitebatur (t). Cum prodigia in obitu Jesu Christi spectasset Centurio, divinitati ipsius testimonium tulit apertissimum (u). S. Petrus sublimiora quàm reliqui è vulgo Judæi sentiens, luculenter edicit, Christum Filium esse Dei vivi (x). S. Thomas post tractatas manuum, & lateris cicatrices, exclamavit: Dominus meus, & Deus meus (y). Hoc Fidei dogma potissimum in ipso Evangelii sui exordio constituit S. Joannes, nihilque frequentius insinuat, atque

o Chrysol. in Matt. Author Operis imper. fecit in Matthæum autem, eundem S. Matthæum superfluum. reputasse in. exordio Evangelii de Divinitate Christi loqui; quòd scilicet norat scribere se Judæis de Messia divinitate persuasis. Hom. 4. Initio. p. Matth. 22. 42. 43. ex Ps. 109. 1. q. Luc. 7. 49. r. Matth. 26. 65. s. Matth. 16. 13. 16.

t Jo. 11. 20. 27.

u Matth. 27. 54.

x Matth. 16. 13. 16.

y Joan. 20. 28.

atque adductis argumentis probat, quàm Jesu Christi Divinitatem. S. Paulus luculentissimè illam adstruit, sive tanquam alibi adstruam commemorat. Ubique in novo Testamento argumenta pro Divinitate Filii Dei oggeruntur. Ut quid hæc adeo inculcarentur, cum potissimum novis obtrectationibus ansam præberent opportunam; nisi eam rem maxime necessariam judicasset? Jesus Christus non passim quidem de illa sibi loquendum censuit, interdum tamen & identidem eò recurrit. Vix est igitur, ut Judæi veteres Messia Divinitatem ignorasse credantur. Habebant id persuasum; nec Judæi recentiores nisi concepta quadam animi ægritudine in nostros, eam sibi veritatem negandam sumserunt.

Namque, ut vera fateamur, Judæorum res religiose, atque Judaicæ Fidei dogmata temporum vicibus senserunt; & alia Patribus, alia Discipulis stetit sententia. Quantumvis enim avitis consuetudinibus inhærente populi videantur, quantumvis veteribus traditionibus deserre, in rebus tamen maximi momenti plurimum à veteribus opinionibus recessisse illos constat. Quæ enim pervercia nunc veteribus præjudiciis inhærente cogit, hæc olim ab illis recedere, quòd se magis magisque opponere Christianis, coegit. Semel enim persuasi Christum insignem fuisse seductorem, ejusque Religionem constituta Legis fundamenta subvertere, nihil reliquerunt intentatum, ut atrocem in illam & ejus auctorem invidiam crearent. Perverciam subvertit pervercia, totique profligandæ veritati intenti, auctoritatem suam deinde periclitari, variatis subinde sententiis, ne senserunt quidem.

Prophetæ certos quosdam nec ambiguos characteres Messia expresserant. Eos tanquam genuinos probaverant Judæi veteriores; ac tandem in Jesum Christum quodrasse omnes, quam plurimi profitebantur.

Verum recentiores Hebræi è re sua esse censentes, ut hanc veritatem negarent, à Prophetis vetustissimæ gentis Scripturis abalienati, recesserunt. Si autem veritatis pondere coacti vetera Oracula de Messia interpretentur, eorum tamen vim eludunt, distantes, sive Messiam jam sub Ezechia persona venisse, diemque ultimum clausisse; sive venisse quidem, sed in hominum turba latentem, ignotum mansisse hominibus; sive venturum tandem, cum primùm Israelitæ totam Sabbati religionem impleverint; sive venturum item sexto demum Sæculi millenario. Alii certum tempus assignare refugientes, venturum dicunt ferius citiusve; si distulerit, non despondendum tamen animis; venturum enim tandem. Contendunt alii Oracula Messiam designantia, ad eò cum aliis altarum rerum immixta esse, & confusa, ut ne fecerint quidem possint; nihil eam re veterum traditionibus, tanquam inconstantibus deferendum; quare, inquit, frustra nobis Prophetæ obijciuntur, prius enim certum & genuinum eorum sensum vindicari oporteret.

Fatentur illi quidem, tempora pro Messia Dissert. Calmet. Tom. I.

designata omnia transisse; interim venturum adhuc expectant, in quo præcipuum fidei suæ dogma constituunt. Rogant singulis diebus Deum, ut adventum suum accelerans, ante in lucem veniat, quàm ipsi luci oculos claudant. Dilationis autem unicam causam crimina sua esse fatentur, rati ei demum conditioni obnoxias esse promissiones de Messia latas. Sed quandonam immunem à criminibus universum habebunt? Si ad hoc usque temporis Sabbati religioni implendæ impares fuerunt, quando tandem totam ejus perfectionem attinget? Qui verò hæc omnia cum his, quæ de tempore nati Messie narrat coherere possunt (z)? Tunc enim, inquit, Sapientibus fato sanctis, alta Legis oblivio Doctorum etiam mentes tenebit; ejusque loco hominum impudentia augebitur. Ingens erit panis & vini caritas; [gulosis hominibus omnia vastantibus, ait Glossa] tota Regni facies hæreticorum face, nemine repurgare audente, sordabitur; Templum verò in locum tripudii commutabitur. Quinam hæc omnia coherere cum pietate, religione, ceterisque virtutibus, quibus alleclus Messias in mundum tandem, juxta eorum sententiam, veniet?

Idem verò qui auditâ cruce Christi ejusque humilitate, & passione, ingenti scandalo afficiuntur, nonne ipsi plurimum malorum collivem sub Messia Mundum inundaturam universum tenuerunt, in tantum, ut R. Ula exclamaverit: Veniat quidem, sed ego nunquam illum intuear? namque Leonem fugiens, in unguis inciditur, & anguis morsu corripitur. Si gloriam ejus adeo exaggerant, ut quid illum asino vestim, & lepræ scabiæ tabescentem inducunt? quid cum florissimo ejus Regno bella, lues, pestes? Quid decem illa prodigia ejus adventum præcurrentia, quorum pleraque funestissima sunt, & perniciosiora? Duo tantummodo viri in Chanaanitidem ingressi sunt, cum 600000. ex Aegypto egressi iter eò suscepissent; ita pariter, ait R. Rabba, sub Messia regno continget. Latum Oraculum excipiant Israelitæ.

Spondent cæteroquæ sub Messia Hebræi victorias, felicitatem, immortalitatem, vel saltem diuturnissimam prosperitatem felix Imperium. Septem Messia gloriose nomina tribuunt: Aternus, nostra Justitia, German, splendor, Consolator, Elias, Silo. Simul verò silentio premunt nomina Emmanuel, Justus, Deus, Admirabilis, Consiliarius, Pater futuri sæculi, Pater Aternus, & sexcenta alia in Scriptura nota. Qui hæc omnia cum principiis ab illis constitutis coherant? Qui in merum hominem, qualem Messiam credunt, omnia simul quadrent?

Nil in Scriptura disertius, quàm Gentium ad fidem conversio sub Messia, unde illi nomen apud Aggæum 2. 8. Desideratus cunctis Gentibus; apud Jacob Gen. 49. 10. Expectatio Gentium. Sed insitum Genti in nos odium eos induxit, ut Messiam conciperent veluti Gentium omnium exterminatorem, cujus tota felicitas intra solos Judæos contineretur, gesta omnia terra-

z Vide G. mar. iii. Sola pag. 343. & Basnage. hist. Jud. 1.6. c. 26. a. 3.